




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-157275-p0001-6

DFG



m
19

ELEGIA IN OBITVM ELI.

SABETHÆ SCHVLEN.
BVRGI ORVM FAMILIA ORIVN-
dæ, Nobilissimi ac fortissimi viri LVDOLFI ab ALVEN-
SLEVEN Domini in Arxsleben conjugis, piæ, & pudicis-
simæ matronæ, quæ obijt 18. Iulij Anno Christi supra
millesimum sexcentesimo, ætatis 27.

Conjugij 10.

SVMMÆ OBSERVANTIAE
DEMERENDIQVE FAVORIS STU-
DIO SCRIPTA AD NOBILISSIMVM ET GE-
nero sum virum LVDOLFVM ab ALVENSLE-
VEN, jam viduum, Nutricium & Patronum
Juum summum,
ab

Elia Hothlingio Calvensi Scholæ Amfur-
tenfis moderatore.

Apocal. 14. v. 13.

Felices animæ vicijs quibus ante piatis
Contigit optato claudere fine diem.
Namq; per ancipites, Christo duce & auspice, casus
Deveniunt portum quem petiere diu.

E. H. C.

M A G D E B U R G I

Excudebat Andreas Duncker Anno 1600.



SPLENDORE NATA-
LIV M ET MAIORVM ATQ VE
PROPRIA VIRTUTE NOBILISSI-
mo viro ac Domino Ludolfo Alvensle-
bio Domino in Erxleben, &c. fau-
tori & Mecœnati suo ma-
gnifico S.

Ta condita est Natura hominum, vir nobilissime,
ut rebus secundis & gratis vel suaviter afficiatur,
vel doleat adversis & insuavibus. Divinitus enim
insitæ sunt humanis pectoribvs *sophyæ*, ut sint com-
monefactiones de amore Dei erga Filium, & erga nos.
Quare dolorem parentum & conjugum, quem concipiunt
& sentiunt in suorum interitu, aut alia calamitate, non pu-
temus infirmi animi signum esse, sed pij & generosi, qui
suorum desiderio jure ac meritò afficitur. Quod igitur
jam doles in morte conjugis suavissimæ, matronæ nobi-
lissimæ ac gravissimæ, eximia est pietas. Sed vult Deus,
ut hac verissima & solida consolatione dolorem tuum le-
nias, quod certus es, vitam vitæ mortalís, spem esse vitæ
immortalis, & jam tuam conjugem eductam esse cum so-
bole, quam jam tu præmisisti, ex hac mortali vita ad
consuetudinem filij Dei & ad piorum agmina translatam.
Cum autem in hoc luctu tuo gravissimo maximè deceat à
Musis nostris jejunis aliquam significationem reverentiaz
& gratitudinis erga studiorum meorum Nutricium profi-
cisci, scripsi hanc Elegiam, ut & tuum dolorem hoc car-

A 2

minis

minis genere mitigarem, & meum studium erga te & nobilissimæ Alvonus familiæ reliqua Sidera hoc qualicunq; officij genere declararem atq; ostenderem. Exhortari me tacitè visa est animi non ingratি ratio, quam tibi vir nobilissime debeo & debebo semper. Ornabas me benignè ante quinquennium datis literis, ut vocant, promotorialibus, ad magnificum pro tempore Iuliæ Academiæ Vice-rectorem, quibus impetrabat animus, quod exoptaverat. Euge vir generose, patriæ virtutis hæres locupletissime, favo meorum quoq; studiorum conatuī, clientem me tuum esse patere. Si clientela tua non indignus judicabor, nec vultu tuo augusto dignare hanc Elegiam beatæ memoriæ tuæ conjugis sacram.

Quare ut hanc qualemcumq; animi mei significacionem æquo animo suscipias, vehementer etiam atq; etiam oro. Deum ter optimum ter maximum precor, ut te Spiritu suo sancto consoletur, te cum sobole superstite diu nobis in columem & rebus omnibus florentem conservet. Amfurti, ex Musæo 15. Iulij Anno salutis humanæ
ciso 150.

Nob. & Ampl. T.
subjectus.

Elias Hothlingius Calvensis Scholæ
Asseburgicae que Amfurti ist.
Moderator.

ELEGIA.

ELEGIA.



Hare citos gressus paulum suspende
viator

Atq; quid hæc moneat parva ta-
bella nota.

Scilicet humana quod sit mastissima vita
Conditio, multis atq; onerata malis.

Vt tua fata, legens hæc tristia fata, revolvas
Quaq; habeas vita munera lege tua.

Atq; mali tanti dum quæ sit origo requiris
Solamen queras auxiliumq; petas.

Hei mihi (silacrymas possem cohibere cadentes
Inq; meo gemitus cogere corde graves)

Infelix hominum nimium est genus, estq; periclis
Grandibus, innumeris expositumq; malis.

Bella, fames, pestis, morbi, mortesq; necesq;
Affligunt variis exigitantq; modis.

Nec modus est ullus, nec meta doloribus istis
Sed veniunt dannis insuper aucta novis.

Causaq; tantorum non est ignota malorum,
Primus homo tanti causa & origo mali.

Cum vetitum vetita male sanus ab arbore pomis
Avulsum cupidis dentibus attereret.

A 3

Quo

Quo se quoq; suos natos omnesq; nepotes
Constituit mortis, crimine, mancipia.
Quod quia grande nefas mortalis transit in omnes
Omnes regalimors premit imperio.
Et furiosa trucis violentia mortis in omnes
Transit mortales imperiumq; tenet.
Non ulla vires non ulla potentia servat
Fortia nec validum robur & armajuvant.
Nobile nobilium nec stemma tuetur auorum
Neve per illustres gloria parta patres.
Nec regale decus nec magna potentia mortem
Aut immensarum copia pellit opum.
Omnia sed victrix humana maxima vite
Præsidia, immiti mors rapit atra manu.
E medio hinc juvenes tollit senioq; gravatos,
Cumq; piarapitur matre puella citò.
A cuius liber grassante tyrannide nemo est,
Omnes sub leges mors vocat atra suas.
Prævalet humanis mors invida rebus, & omnes
Mortales stricto mortis ab ense cadunt.
Hinc generosa etiam (cuius modo carmine tristi
Funera deploro) fœmina morte cadit.
Fœmina casta, gravis, generosa, decora, benigna
Schulenburgiaca gloria Elisa domus.

Huic

Huic genitor VVernerus erat vir candidus, equus
Prefectum Senones quem coluere fide.
MARCHIACIS AQUILIS qui gratus & utilis arte
Dum fuit in vivis consilioq; fuit.
Mater Bertslebia lux præstantissima gentis
Bertha in opum mater larga, benigna, pia.
Parva sub imperio carorum virgo parentum
Transegit vita tempora prima sue.
At teneris mater quam cara fideliter annis
Instituit summi religione Dei.
Moribus & teneram vitam formavit honestis
Et docuit quo sit vita regenda modo.
Illa studet monitis matris parere modestis
Et genitricis amat iussa subire volens.
Interea crescit dum virgo hac nobilis, annis
Vndecies fermè præteriere duo.
Fit matura viro, fit plenis nubilis annis,
Aptaq; legitimo subdere colla jugo:
Nec mora, legitime thalami de more jugalis
Ritè viro eximio virgo decora datur.
Stemmate qui veteri veterum prognatus auorum
Antiqua generis nobilitate nitet.
Et præter patrias laudes & præter avitas
Nobilis hic meritò cur celebretur, habet.

Et

Et passim noctum LUDOLPHVS honoribus amplis
(ALVONVM sidus) nobile nomen habet.

Connubio stabili t&disq; jugalibus uxor
Fungitur Alvoni virgo decora viro.

Mutuus hos interfuit ignis amore secundo
Vnum velle E& idem nolle duobus erat.

Ut doluit toties abeuntem amplexa maritum
Sic reducem excepit lata marita sinu.

Scilicet exemplum non hoc conspectius ullum
Hoc avo nostro Saxonis ora tulit.

Optima conjugium censetur E& aurea vita
Vxor ubi stabili certat amore viro.

Et benedicta thori bis dulcia pignora quinq;
Est enixa suo mater amanda viro.

Quorum sex fato mors primo in limine vite
Transtulit ad celsi regna beata poli.

Quatuor ad thalami decora E& spes una parentis
Deliciumq; avia sunt super eximia.

Inclyta qua soboles patria iam crescit in aula
Sicut olivarum planta novella solet.

Magna sui generis, generorum magna, nepotum,
Magnaq; spes, magna E& posteritatis erit.

Sedula quam teneris castissima mater ab annis
Instituit sancti religione Dei.

Insuper

Insuper et mores pietati jungit honestos
Quodq; decet simili sedulitate docet.
Nec quicquam transit studio torpente quod ipsum
Postulat officij sedula cura sui.
Insuper Oeconomam studio sese exhibet omni
Per vigil in cuius pectore cura sedet. (tur
Commoda qua spectat, spectat qua damna sequun-
Arte suamq; regit consilioq; domum.
Comis, larga, gravis, generosa, decora, juvando
Lata bonos, misericordia compatiensq; fuit.
Et totam recta vitam ratione gubernans
Vivit ut ingenuam vivere quamq; decet.
Lapsibus interea nullo remorante capistro
Diffugiunt tacitis integralusta duo.
Nobilis hac summo dum fæmina servit Iesu
Atq; creatori est fida ministra suo.
Dumq; iugata thoro tædasque experta jugales
Format conjugij pignora cara sui.
Et simul interea vivendi terminus instat
Ingruit et vita meta suprema data.
(Nam sua quemq; dies et inevitabile fatum
Terminus et certus metaq; certa manet.
Quam licet iniusta vita prævertere possis
Non ullis poteris transiliisse modis)

B

Ocius

Ocyus humanae vita fatalia mentes
Immites Paracetamina, fila legunt.
Ocyus atq; ingens compresso in pectore languor
Sentitur magno corq; dolore premit.
Viribus hic tacitis paulatim crescit in horas
Insultaq; cito cordis adimaruit.
Languida tunc subito flaccescunt membra, priores
Flaccescunt vires robur & omne perit.
Prorsus & humanae nihil in discrimine tanto
Artis, multivalens ante medela juvat.
Humanis igitur medicinis illa relictis
Ætheream fido pectore querit opem.
Scit quod ab astrifero MEDICVS sit missus olympos
Ut morbos animæ corporis atq; levet.
Nomen IESVS habet (vox est Salvator Jesus)
Illud ab officio nomen habetq; suo.
Hunc quoniam in columnis dilexit amore fideli
Hunc Dominum vita constituitq; sua.
Languida nunc etiam constanter amore sueto
Prosequitur vera diligit atq; fide.
Namq; scit, hic vita est quod solus & unicus autor
Hic Dominus vita munera solus habet.
Hunc precibus castis, hunc supplice voce precatur
Hujus & expertum postulat auxilium.

Ipsius

Ipsius omnipotens fuerit si forte voluntas
Ut placide partum sublevet ille gravem
Corporis aut ruptis animam migrare paratam
Nexibus, auxilo solvat & ipse suo.
Et famulam placide placidus amplexus in ulnis
Ducat in etherei regna beatapolii.
Talia dum verbis, dum talia corde precatur
Hanc Mortem, vitam credidit esse suam.
Sepe vocatus adest omnino numine **CHRISTVS**
Pectoris illustrans interiora suo.
Et (veluti Stephano constanti Martyri amicè
Monstravit famulis gloria quanta suis.)
Humanam quanto monstrat discrimine vitam
Et quantis praestet cœlica vita modis.
Quantaq; cœlestis semper sint gaudia vita
Quæq; reposta pios lata corona manet
Ista fide spectans, oculis & pectoris imi
Gaudia quæ letus semper Olympus habet.
Despicit humana præsentia gaudia vita
Nec (velut ante) modo vita caduca placet.
Pectore sed tacito, totis & viribus illam
Appetit esse sui quam scit in arce Dei.
Et tibi salvator moriens commendat Iesu
In sanctas animam sponte volensq; manus.

B 2

Certa

Certa quod abruptis illam Salvator Iesu
Nexibus ad cœli regna beataferes.
Frigidus interea certum præcordia sanguis
Funditur, innatus difficit atq; calor.
Lumina paulatim, dum vita soluta recedit
Lumina mors placida claudit & ora manu.
Sic jacet exanimum, post quam sua fata peregit
Corpus, in aterni Spiritus arce Dei est.
Corpora de tumulis quando rediviva resurgent
Quæ certent radijs splendide Phœbe tuis.
Hoc quoq; defunctum spem condere propter eandem
Molliter in molli corpus oportet humo.
Propterea tanto conspectior illa futura
Vi spes sit vita, quæ sine fine manet.
Exequiis solitis & honesto funere funus
Ducitur ad templi limina sacra sacri.
Et justis illuc solito de more peractis
Conditur in patulo more decente rogo.
Hic requiem capiens post tristia fata beatam
Absq; omni, in placida pace, dolore cubat.
Expectatq; diem latum Salvator Iesus
Quo veniet celsi rursus ab arce poli.
Mortua terrifico passim clangore tubarum
Corpora de tumulis vivificare suis.

Atq;

Atque suis dudum charis promissa ministris
Reddere pro meritis præmia digna suis.
Tunc semel exanimum tumulo quod conditur isto
Vivum cœlesti limine corpus erit.
Et Dominum, (moriens in quo confidit) IESVM
Aspiciens oculis fœmina sancta suis,
Semper inenarrabilibus gaudebit in ævum
Latitijs, domino consociata suo.
Inquis triumphabit lata sine fine corona
Cœlica stelliferi gaudia nacta poli.
Talia (Mortalis vita dilecte viator
Dum luges lacrymis damna dolenda pijs.)
Gaudia sollicito meditari corde memento
Quæ miseros homines usque reposta manent.
Et salvatorem non ficto pectore Christum,
Extremam vita spem posuisse tua.
Ille trucem solus per tristia vulnera mortem
Vicit, & infernum diruit ille malum.
Solamenque suis dextrâ præsente ministris
In dubijs affert casibus auxilium.
Et quia mancipio nullis, ast omnibus usu
Tempus ad exiguum vita caduca datur.
Longa tibi longa vita preponere noli
Tempora, vita fugax nam velut umbra fugit.

B 3

Et

Et mors humanam vitam (contraria vita)
Assidue sequitur corpus ut umbrasuum.
Omnibus est vivis sancitum lege perenni
Nempe semel quod sit cuiq; necesse mori.
Ergo refert modicum, moreris juvenisve senexve
Cum semel est homini cuiq; necesse mori.
Attamenē hac homini semper mors optima, qua mors
Sponte sua nondum saepe vocata venit.
Nam mala præsentis vita mors omnia finit
Venturaq; semel damna futura levat.
Et mala christicolis simul omnia terminat, omni
Christigenasq; semel prosperitate beat.
Hac meditabundus tacito dum corde volutas
Chare tuum felix carpe viator iter.
Et vitam, quoq; tu, quo nanciscare beatam
Quæ so piè liceat saepe præcare mori.

F I N I S.



NASCE-



NASCEBATVR ELISA-
BETHA ALVENSLEBICA M A.
trona gravissima A. C. cīc. 15. Lxxiv. die i. Iun.
Mortua 18. Iulij circiter 7. mat. Anno C. N.
cīc. 15. tumulata verò cum funebri pompa
ipfis Calendis Augusti in crypta
templi Erxslebiani.

i. Timoth. 2. v. ultimo.

γυνὴ σωθίσειαν διὰ τῆς τεκνογονίας, ἵαρ μετανοίη
ἐμ πίση, καὶ ἀγάπη καὶ ἀγιασμός
μετέ σωφροσύνης.



AB 155 199

ULB Halle
004 841 417

3



TA → OL

09.2001 GJ,





m
19

ELEGIA
OBITVM ELL.
BETHÆ SCHVLEN.
RGIORVM FAMILIA ORIVN-
bilissimi ac fortissimi viri LVDOLFI ab ALVEN-
EN Domini in Arxsleben conjugis, piæ, & pudicis-
æ matronæ, quæ obijt 18. Iulij Anno Christi supra
millesimum sexcentesimo, ætatis 27.
Conjugij 10.

MMÆ OBSERVANTIAE
MERENDIQVE FAVORIS STV-
SCRIPTA AD NOBILISSIMVM ET GE-
sum virum LVDOLFVM ab ALVENSLE-
VEN, jam viduum, Nutricium & Patronum
suum summum,
ab

Elia Hothlingio Calvensi Scholæ Amfur-
tensis moderatore.

Apocal. 14. v.13.

elices animæ vicijs quibus ante piatis
Contigit optato claudere fine diem.
Namq; per ancipes, Christo duce & auspice, casus
Deveniunt portum quem petiere diu.

E, H, C.

M A G D E B U R G I

scudebat Andreas Duncker Anno 1600.